

plexæ, id est, quando quis inter duo præcepta constitutus, quorum unum impleri non potest quin alterum omitatur, hæret dubius quodnam e duobus anteferre debeat, et credit se peccaturum alterutrum prætermittendo.

*Resp.* 1º Si perplexus possit actionem suspendere, teneatur illam differre, donec consuluerit confessarium suum vel alium virum peritum et prudentem, ex cuius sententia conscientia ejus formetur.

2º Si non possit consulere et adsit necessitas agendi, quia actio sine gravi damno suspensi nequit, tunc minus malum tenetur eligere, vitando potius transgressionem juris naturalis quam juris positivi divini aut humani; nam lex inferioris ordinis semper debet legi ordinis superioris cedere. Supponitur tamen eum, a præcepto minoris ponderis recedendo, non malum intendere, sed magis ita agere, ut malum vitet.

3º Si utrumque præceptum æque grave ipsi videatur, vel non discernat quidnam sit minus malum, quilibet partem eligat, non peccabit, quia in hoc casu deest libertas requisita ad peccandum formaliter, et aliunde nunquam datur peccandi necessitas. — Ita S. Lig., lib. I, tract. 1, n. 10, et Gury, n. 43.]

## DISSERTATIO VI

## DE OPINIONUM PROBABILITATE ET DELECTU

Resolvimus dissent. præcedenti, ex communi sententia, non esse licitum agere cum conscientia dubia, probabili aut probabili, sed solum conscientiam moraliter certam esse regulam actionum nostrarum. Nunc quærimus utrum in opinione seu judicio speculativo-practico, probabili aut probabili de honestate objectiva et materiali actionis possit fundari mediate, mediantibus scilicet principiis reflexis, conscientia moraliter certa de honestate formalis et subjectiva actionis; consequenter utrum liceat

## DISSERT. VI. DE OPINIONUM PROBABILITATE 107

sequi opinionem probabilem aut probabiliorem de honestate objectiva actus.

## ARTICULUS I

*Utrum sit licitum sequi opinionem minus probabilem et minus tutam, in concursu probabilioris et tutioris?*

Opinio probabilis est mentis assensus uni parti propter motivum idoneum suadens ejus veritatem, fallibile tamen, et ideo cum formidine partis oppositæ. Et hinc eo major vel minor probabilitas est, quo motivum est magis vel minus idoneum et grave.

Motivum seu fundamentum probabilitatis est duplex, intrinsecum et extrinsecum, et ideo duplex probabilitas, intrinseca et extrinseca. Fundamentum intrinsecum sunt rationes petitæ ex ipsius rei natura, proprietatibus, causis, effectibus, et etiam ex inconvenientibus partis oppositæ. Fundamentum extrinsecum est authoritas doctorum qui hanc opinionem tenent aut tenuerunt; quæ tamen authoritas non movet nisi quatenus præsumuntur isti doctores hanc opinionem propter bonas rationes docere aut docuisse. Unde probabilitas extrinseca magis aestimanda est ex doctorum merito et eruditione, atque ex eorum studio et diligentia in re examinanda, quam ex eorum numero. Authoritatem unius junioris et moderni theologi non sufficere ad fundandam probabilitatem extrinsecam, constat ex hac propositione damnata ab Alexandro VII: « Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse a Sede Apostolica ut improbabilem. »

Opinio probabilis potest considerari dupliciter, seorsim et comparative ad oppositam quæ sit æque, aut minus, aut magis probabilis, et secundum hanc ultimam considerationem procedit præsens questio. Non enim negamus quin opinio solide probabilis, seorsim considerata, si nihil appareat in contrarium, aut quod non sit eviden-

ter solutum, possit tuto eligi; quia homo non potest semper in moralibus habere omniumdam certitudinem, et ille prudenter agit, qui agit secundum graves rationes quas nihil solidi infringit.

Dum consideratur opinio probabilis in concurso oppositæ, quanto magis crescit unius probabilitas, tanto magis minuitur probabilitas oppositæ, et cum una sit probabilior et verisimilior, altera sit minus probabilis et falsi similior, ita ut tunc desinat esse solide et expedite probabilis, utpote incapax suadere veritatem; quia motiva probabiliora unius elidunt efficaciam motivorum oppositæ.

Securitas opinionis consistit in remotione a periculo peccandi, siveque est tutior quæ magis removet a periculo peccandi: unde quæ stat pro lege, est tutior; quæ stat pro libertate, est minus tuta. Differunt ergo, ut vides, securitas et probabilitas opinionum. Probabilitas petitur ex apparentia veritatis, securitas ex remotione periculi peccandi: unde potest dari opinio tutior quæ sit minus probabilis, et opinio probabilior quæ sit minus tuta. Patet in exemplo communi. Opinio S. Bonaventuræ, quæ docet peccatorem statim a lapsu teneri ad pœnitendum, est tutior, sed minus probabilis; opinio S. Thomæ, qui docet oppositum, est minus tuta, sed probabilior.

Dico: In concurso duarum opinionum de honestate objectiva actionis, non est licitum sequi minus probabilem et minus tutam, relictæ probabiliori et tutiori<sup>1</sup>.

1. Hanc propositionem admittunt et tenent probabilistæ, sic eam explicantes. Dum agitur de sola honestate objectiva actionis, non licet sequi opinionem minus probabilem et minus tutam faventem libertati, relictæ probabiliori et tutiori favente legi, quando probabilitas posterioris probabilitatem prioris ita excedit, ut hæc non nisi leviter probabilis appareat; quia ex ea vir prudens non potest sibi efformare, vi alicujus principii reflexi certi, conscientiam moraliter certam de licitate actionis. Totum systema probabilismi recte intellecti in sequenti propositione continetur: « Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relictæ tutiori, ubi de solo licto vel illicto agitur. » Etiamsi enim aliqua inæqualitas deprehendatur, quoad

Omissis pluribus probationibus ex Scriptura, Patribus, SS. Pontificibus et theologis cujusvis ordinis, quæ videri possunt in priori nostro opere,

*Prob. 1º* ex S. Thoma, qui *Quodlibeto VIII*, a. 13, dicit: « Si ille qui habet plures præbendas, in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, et sic, si, manente tali dubitatione, plures præbendas habet, periculo se committit, et sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale quam propriam salutem<sup>1</sup>. » Quæ verba adeo aperta visa sunt Amadæo Guimenio, authori *Apologia Casuistarum*, ut Tract. de *Opin. probab.*, n. 6, dixerit: « Hæc si vera sint, vœ operantibus ex opinione probabili! »

*Prob. ratione multiplici*: 1º Qui in conflictu opinionum de honestate objectiva actus sequitur minus probabilem stantem contra legem, relictæ probabiliori stante pro lege, non potest sibi formare conscientiam moraliter certam de honestate et licitate formalis sui actus, neque ex principiis directis, neque ex principiis reflexis. Ergo peccat. Consequens patet ex his quæ supra diximus, solam conscientiam moraliter certam esse regulam nostrarum actionum; quia alioquin est imprudenter agere et se exponere periculo peccandi formaliter, consequenter peccare. Et ita communiter admittitur a probabilistis. — Antecedens

gradum probabilitatis, inter sententias oppositas, hæc differentia sæpe mere subjectiva est, et probabilitas quæ alicui minor est, alteri major esse potest. Aliunde in tali materia revocandum est tritum principium: « In moralibus, parum pro nihilo reputatur. » Si ergo discrimen non tantum sit, ut una sententia notabiliter probabilior et altera consequenter leviter probabilis videatur, ex utraque parte est vera et solida probabilitas: unde prudenter agitur, sive secundum sive contra legem dubiam agatur. — De his fusius infra.

1. Cuique attente legenti patet, hunc textum non apposite in hac questione allegari. Agit enim Angelicus, non de probabilitate sive majori sive minori, sed de dubio practice practico, et recte pronuntiat eum qui, « manente tali dubitatione, » agit, « prout dubio peccare. » Hæc authoritas opportunius invocari potuisset art. 6 præced. dissert.

etiam pro prima parte constat; ex principio enim minus probabili non potest deduci directe et immediate conclusio moraliter certa: id etiam concedunt adversarii. Tota difficultas ergo est in secunda parte antecedentis. Itaque

*Prob.* secunda pars ant. 1º Principia reflexa ex quibus probabilistæ contendunt sibi posse immediate formare conscientiam moraliter certam de honestate formalis suæ actionis, sequendo opinionem minus probabilem et minus tutam, seu stantem pro libertate contra legem, sunt: « Qui probabiliter operatur, prudenter et tuto operatur. » — « Lex quæ probabiliter judicatur non existere, est insufficienter promulgata et invincibiliter ignorata, ideoque non obligat actu. » — « In dubio melior est conditio possidentis suam libertatem; » et quedam alia minoris momenti, hæc enim sunt præcipua. Atqui hæc principia sunt incerta et ad summum probabilia. Ergo ex his non potest erui conclusio certa, seu formari conscientia moraliter certa practice de honestate formalis actionis. — Patet consequentia; non enim potest conclusio esse certior suis principiis. — *Prob.* min. Omnes antiprobabilistæ negant hæc principia tamquam absolute falsa, et indubie probabiliter negant; sunt enim authores numero et pondere gravissimi, neque eorum rationes sunt improbabiles: quæ duo fundant opinionem probabilem. Ergo hæc principia sunt incerta et ad summum probabilia; si enim sint probabiliter falsa, non sunt nisi probabiliter vera. Quapropter, si probabilistæ velint sua principia reflexa esse certa, ex quibus formari possit conscientia moraliter certa, debent ante omnia evincere omnia argumenta quæ proferimus contra illos, non solum non esse certa, sed nec esse probabilia: quod ubi præsifterint, libenter eis associabimur.

2º Unusquisque tenetur in controversiis et difficultibus quotidie emergentibus, præsertim in materia fidei et morum, sincere querere veritatem, dum latet, et ad eam niti quantum potest. Hoc principium est certissimum et multipliciter probatur: 1º Ex illo Eccli., xxxvii, 20: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te.* 2º Quia reli-

gio Christi est schola veritatis; est enim ipse via, veritas et vita, testaturque se venisse in mundum ut testimonium perhiberet veritati, talemque religionem se velle instituere, in qua veri adoratores adorarent Patrem in spiritu et in veritate. 3º Exigit officium probi viri ut scienter non recedat a veritate legis, quam omnes nationes quærunt et intendunt. 4º Tandem id dietat recta ratio, cuius objectum est veritas. — Subsumo. Atqui qui sequitur quod probabilius credit falsum et contrarium veritati legis, is certo certius non amat nec quærerit sincere veritatem, nec ad eam nititur quantum potest. Ergo non est licitum sequi sententiam minus probabilem contra legem, relicta probabiliori pro lege.

3º Non licet sequi sententiam minus tutam, si non sit proprie, solide et expedite probabilis. Atqui sententia minus probabilis, in conflictu probabilioris, non est proprie, solide et expedite probabilis. — Majorem admittunt modo probabilistæ. — Probatur min. Illa sententia est proprie, solide et expedite probabilis, cuius motiva sunt ita gravia et solida, ut sufficient ad obtinendum assensum viri prudentis et eruditii: ita definiti probabilistæ. Atqui motiva sententiae minus probabilis, in concurso probabilioris, non sufficiunt ad obtinendum assensum viri prudentis et eruditii, sed tantum ad ingerendam aliquam formidinem de opposito. Ergo. — *Prob.* min. 1º Vis et efficacia istorum motivorum superatur et eliditur a motivis fortioribus. Ergo. 2º Vir prudens non potest assentiri opinioni quam probabilius judicat falsam quam veram; assensus enim est actus mentis, quo judicamus aliquid ut verum aut verisimilius. Ergo. Itaque, licet sententia minus probabilis secundum se, seu respective ad illum cui opposita non apparet probabilior, possit dici proprie, solide et expedite probabilis, secus tamen compare ad illum cui opposita est probabilior.

4º Qui operatur secundum opinionem minus probabilem et minus tutam, in concurso probabilioris et tutioris, imprudenter agit. Ergo peccat. — Probatur ant. Vel dubitat de honestate sui actus, vel non. Si dubitet, impru-

denter agit stante illo dubio, sicut ageret imprudenter qui assumeret escam quam dubitat esse venenatam; si non dubitet, longe magis est imprudens, dum non dubitat ubi est tanta ratio dubitandi, sicut ille foret maxime imprudens, qui non dubitaret escam esse venenatam, dum motiva urgentiora dictant esse venenatam.

5º Juxta regulam celebratissimam juris, « in dubiis tutior pars est eligenda<sup>1</sup>. » Atqui qui probabilius judicat actionem esse illicitam, plusquam dubitat de illius honestate, ut patet ex terminis. Ergo. Et hoc solo argumento tota controversia absolute dirimitur; sed hanc cardinalem regulam, quam aeriter impugnant probabilistæ, omnibus suis momentis stabilieimus art. seq., et omnia probabilistarum effugia præcludemus.

Denique attende ad sequentes propositiones damnatas ab Innoc. XI, 2 Martii 1679: « Generatim, dum de probabilitate, sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a finibus probabilitatis non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. » Est n° 3<sup>a</sup>. — Item: « Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione probabili. » Est n° 4<sup>a</sup>. Ex quarum propositionum damnatione videntur damnata haec communia probabilistarum principia: « Qui probabiliter agit, prudenter agit<sup>2</sup>. Probabile est: ergo licitum<sup>3</sup>; et similia.

*Obj.*: Probabilista potest sibi formare conscientiam moraliter certam ex illo syllogismo: Qui agit quod probabiliter judicat esse licitum, prudenter agit; probabilis enim opinio ea est quæ nititur gravi motivo, et cui vir prudens potest assentiri. Atqui qui sequitur sententiam minus probabilem, agit quod probabiliter judicat esse licitum. Ergo prudenter agit.

1. Si agatur stante dubio practice pratico, quia tunc agens non est moraliter certus de honestate suæ actionis. — 2. Infra dicetur hoc principium nude sumptum a veris probabilistis non admitti, quia probabilitas per se non est motivum sufficiens ut licite agatur, si conscientia ex aliquo principio reflexo non rite formetur. — 3. Idem dicendum ac de præcedenti.

*Resp. Dist.* maj. Qui agit quod probabiliter judicat esse licitum, prudenter agit, si non judicet probabilius esse illicitum, *transeat* maj. Si judicet probabilius esse illicitum, *nego* maj. Et ad hunc sensum distineta min., *nego* conseq. Ille enim vere est imprudens, qui facit quod probabilius existimat esse illicitum.

*Inst. 1º*: Qui agit secundum sententiam vere et solide probabilem, prudenter agit, quia agit ex motivo gravi et solido cui potest assentiri vir prudens. Atqui sententia etiam minus probabilis, in concursu oppositæ probabilioris, est vere et solide probabilis; nam nititur motivo gravi, nec est contraria Scripturæ, conciliis, aut Patribus, aut evidenti rationi. Ergo.

*Resp. Data* maj., *dist.* min. Sententia enim minus probabilis, in concursu oppositæ probabilioris, est vere et solide probabilis, respective ad eum cui opposita non appareat probabilior, *conc.* min.; respective ad illum cui opposita appareat probabilior, *nego*. Cum enim ejus motiva elidantur per motiva fortiora probabilioris, non est sufficiens ut obtineat assensum illius cui opposita appareat probabilior; illa autem sententia tantum est vere, solide et expedite probabilis, quæ sufficit ad obtainendum assensum, secundum ipsos probabilistas. Vide tertiam probationem a ratione.

*Inst. 2º*: Comparativum supponit positivum. Ergo, si ex duabus opinionibus, una est probabilior, altera est vere probabilis.

*Resp.* Si probabile sumatur stricte et proprie pro eo quod est capax obtainendi assensum viri prudentis, *nego* suppositum antecedentis; tunc enim *in probabili* non sumitur comparative, sed adversative, ita ut sensus sit: Una est probabilis, altera non. Quo sensu dixit Apostolus, I Cor., vii, 9: *Melius est nubere, quam uri.* Et Susanna, Dan., xiii, 23: *Melius est absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Dei.* non quod sit bonum uri aut mori; sed quia bonum est non nubere et non peccare, malum uri et mori. Si vero sumatur probabile minus stricte et minus proprie, pro eo quod ingerit

aliquam formidinem de opposito, tunc rō *probabilior* potest sumi comparative, sed nihil inde contra nos.

*Inst. 3º* : Minus tutum remanet vere tutum in concursu tutoris, v. g., status matrimonialis est vere tutus, licet religio sit tutior. Ergo similiter minus probabile remanet vere probabile in concursu probabilioris.

*Resp. Nego* conseq. Disparitas est quod securitas major et securitas minor, in his præsertim quæ spectant consilia, et non præcepta, non orientur ex contrariis rationibus quæ sese destruunt, sicut probabilitas major et minor. Sic securitas in religione oritur ex possibiliitate mandatorum, similiter in statu matrimonii. At, e contra, probabilitas, v. g., contractus triplicis ut liciti, oritur ex eo quod non destruatur societas; probabilitas ejusdem ut illicti, oritur ex eo quod destruatur societas.

*Inst. 4º* : Ex dictis, minus tutum remanet tutum in concursu tutoris. Atqui sententia minus probabilis est minus tuta. Ergo remanet tuta in concursu probabilioris tutoris. Ergo licitum est illam sequi.

*Resp. Nego min.* Non enim sententia minus probabilis stans contra legem dicitur minus tuta comparative, sed adversative, id est, non est tuta, et altera est tuta, sicut diximus supra de minus probabili et probabiliori.

*Inst. 5º* : Sententia absolute et solitarie probabilis favens libertati contra legem, est tuta. Atqui, ex dictis, tutum non destruitur per aliud tutum. Ergo.

*Resp. Omissio ant., dist. min.* Tutum non destruitur per aliud tutum, quando securitas oritur aliunde quam ex probabilitate, *conce. min.*; si oriatur ex ipsa probabilitate, *nego min.* et conseq.

Alia et quidem urgentiora argumenta petita ex insufficienti promulgatione et ignorantia invincibili legis, ex possessione libertatis, ex jure sequendi partem benigniore, etc. proponemus et solvemus art. seq. Unde sit

## ARTICULUS II

*Utrum in conflictu duarum opinionum æque probabilem, de honestate objectiva actus, liceat sequi minus tutam faventem libertati, relicta tutiori favente legi?*

Plures probabilistæ, victi argumentis in præcedentis conclusionis assertionem prolatis, jusso valere vago probabilismo, agnoscunt tandem, non esse licitum sequi opinionem minus probabilem et minus tutam, in concursu solide probabilioris et tutioris; sed contendunt saltem esse licitum sequi æque aut fere æque probabilem minus tutam, relicta æque probabili tutiori. Contra quos

Dico : In conflictu duarum opinionum æque probabilem de honestate objectiva actus, tenemur sequi tutiorem.

*Prob. 1º* omnibus ferme argumentis quibus priorem conclusionem probavimus. Illa relege. Tertiam dumtaxat rationem instauro.

Dum utraque pars contradictionis est æque probabilis, neutra est proprie et expedite probabilis. Ergo corruunt omnia probabilistarum principia. — *Prob. ant.* Illud est proprie et expedite probabile, quod est prudenter approbatibile, seu quod est dignum quod approbetur et illi præbeatur assensus ut vero, licet cum formidine partis oppositæ. Atqui quando utraque pars contradictionis, omnibus perpensis, appareat alicui æque probabilis, neutræ in his circumstantiis potest prudenter approbare ut veram<sup>1</sup>, seu neutra est sufficiens ad obtinendum prudentem ejus assensum. Ergo. — *Major est adversiorum.* — *Prob. min.* Quando utraque pars contradictionis est æque probabilis, motiva utriusque se elidunt mutuo et æqualiter ponderant, ita ut quantum hæc nituntur ad obtinendum assensum, tantum illa nituntur in oppositum; unde

1. Ut certe veram, concedo; ut vere probabilem, nego.

intellectus manet suspensus<sup>1</sup> et inter utrumque vere dubius : sicut bilanx manet suspensa in æquilibrio, dum in utraque lance æqualia sunt pondera, vel sicut lapis tractus in partes oppositas a duplice virtute æquali, immotus quiescit. Ergo.

*Dicunt* probabiliste : Voluntas potest imperare assensum unius partis, sicut, v. g., in dubio de probitate alijus, voluntas imperat ut judicetur bonus<sup>2</sup>.

*Resp.* juxta aliquos impossibile esse quod voluntas efficaciter imperet intellectui assensum unius partis ubi momenta sunt æqualia. Sed, dato id esse absolute possibile, saltem certo fieri non potest prudenter et rationabiliter, sed ad summum secundum animum passionem aut affectu præoccupatum, non ratione motum : quod sufficit nobis. Ratio est, quia judicare prudenter et rationabiliter, est judicare secundum merita causæ et rationum momenta ; non judicat autem secundum merita causæ et rationum momenta, qui judicat pro una parte potius quam pro altera, quando momenta sunt utrinque æqualia. Sic nemo reputabit prudens et rationabile hoc imperium voluntatis dicentis intellectui : « Quamvis nulla ratio te moveat ad opinandum hunc contractum esse licitum, potius quam ad opinandum esse illicitum, volo tamen ut opineris esse licitum, potius quam illicitum. » Quin, e contra, nemo est qui hujusmodi imperium non improbet ut imprudens et temerarium.

*Si dicas* : Ex affectu in unam partem, ista pars quæ

1. Evidem, si ambæ propositiones in se seu speculative spectentur. Sed non inde sequitur æquilibrium mentis non posse solvi practice pondere alicujus principii reflexi in bilance hinc vel inde positi. Et hoc faciunt ipsi probabilioristæ, qui æquilibrium solvendum esse affirmant per appositionem sui principii reflexi : « In dubio pars tutior est sequenda. » — 2. Si quis olim tale argumentum instituit, nesciebat vel oblitus est, judicium intellectus necessario præcedere determinationem voluntatis, et voluntatem, ut docet et probat S. Thomas, esse potentiam cœcam quæ sequitur ductum intellectus, non vero intellectum sequi ductum voluntatis.

antea apparebat æqualis, apparebit probabilior, *resp.* : 1º Hoc dato, jam excurrit extra thesim. 2º Ex affectu non potest una pars apparere probabilior, nisi quatenus affectus obnubilat intellectum, et obnubilatio inclinat et facit ut levius aut nullatenus attendat ad rationes pro parte tutiori, magis aut solum ad rationes pro parte minus tuta ; et hoc est imprudenter et irrationaliter agere.

Ad exemplum de eo qui ex imperio voluntatis judicat proximum probum in dubio de ejus malitia, *resp.* in hoc casu adesse principium certum rectificans istud imperium, nempe legem charitatis et justitiae vetantem judicare proximum esse malum, nisi constet esse tales. Nihil autem simile habent probabilistæ.

*Prob.* 2º et invictissime. Haec est constans et indubitata regula juris : « In dubiis tutior pars est eligenda. » Atqui qui versatur inter duas opiniones æque probabiles est dubius<sup>1</sup>, ut patet ex dictis. Ergo.

*Prob.* maj. 1º Cap. *Significasti*, de homicid., lib. V Decretal., tit. 42, c. 48, in dubio an sacerdos occiderit hominem, debet censeri homicide et irregularis ; quia, ut ait Innocentius III, « in hoc casu cessare est tutius quam temere celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur. » Cap. *Petitio tua*, eod. tit., c. 24, cum clericus pugnando contra inimicos fidei catholicæ, aliquos percussisset, et inde dubitaret an aliquem interfecisset et irregularitatem incurrisset, Honorius III respondet sic : « Mandamus quatenus, si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua te conscientia remordeat, a ministerio altaris abstineas reverenter :

1. Est dubius dubio speculative pratico quoad veritatem intrinsecam propositionum oppositarum, *concedo* ; et si, non excusso tali dubio, agat cum dubio practice pratico de honestate actionis, peccat formaliter, iterum *concedo*. Si vero ope alicujus principii reflexi certi potuerit dubium practice practicum discutere, ita ut certus sit se honeste agere, etiam remanente dubio speculative pratico, *nego* eum peccare. De hoc uberiorius infra.

cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare. » Et cap. *Ad audientiam*, eod. tit., cum quidam presbyter, volens corrigere quemdam de familia sua, illum cultello e vagina casualiter elapsu vulnerasset, dubium fuit utrum occasione vulneris decessisset. Respondet Clemens III sic : « Vestrae discretioni duximus respondendum quod, cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te convenienti injungere presbytero memorato ut in sacris ordinibus non ministret<sup>1</sup>. »

2<sup>o</sup> Cap. *Illud*, de clero excommunicato, lib. V Decretal., tit. 27, c. 5. Cum episcopus Hildesemensis dubitaret an excommunicatio lata in ipsum ab episcopo Magdeburgensi, S. Sedis Legato, non praemissa monitione ferenda nec significacione Iatæ censuræ, ipsum ligaret, et in hoc dubio divina officia celebrasset, rescripsit Inno-

1. Cum agatur in his casibus de dubio facti et pratico, apposite dicit S. Ligoriūs, *Morale systema*, n. 79 : « Concedo quod generiter accipiendi sunt [canones hi] quoad omnia dubia practica et facti, qualia utique erant illa quæ occurrerant respectu ad casus præfatorum canonum, sed non quoad omnia dubia speculativa et juris, ut dicunt S. Antoninus, Christianus Lupus, Joannes Nyder, Dominicus Soto, Suarez, Tabiena, Sylvester, Angelus, Henriquez, Angles, S. Bonaventura, Gerson, Pelbartus, et alii fere communiter; aiunt enim, regulam præfata canonum quoad dubia speculativa esse de consilio, non de præcepto. » — « Quoad caput *Ad audientiam*..., primo advertendum quod non adhuc facti veritas erat tunc explorata, nimur an tali ex vulnere mors accidisset; qua de causa subjungit textus : « Si alia ex infirmitate obierit, poterit divina ministrare. » Ideoque sapienter statuit Pontifex quod interim sacerdos non celebraret; dicebat enim in tali dubio viam tutiorem eligendam. Advertendum secundo, cum Navarro et Suarez, quod eo casu non agebatur de observando aliquo præcepto, sed tantum de quadam convenientia, ut, si deinde constaret sacerdotem fuisse homicidam, populo non esset scandalum eum celebrantem conspicere. Idem statutum fuit in simili casu dubii homicidii in cap. *Petitio tua*, 24 de homicid., ubi dictum fuit : « Cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare. » Quis non videt, in his casibus necessario, ad scandalum effugendum, convenisse ut via tutior eligeretur, a celebratione abstinendo? »

cent. III Heribolensi Capitulo his verbis : « Licet autem in hoc non videatur omnino culpabilis extitisse, quia tamen in dubiis via tutior est eligenda, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinerre, quam sacramenta ecclesiastica pertractare... Cum eo misericordiam facientes, pœnam quam canon minatur his qui post excommunicationem divina præsumpserint officia celebrare... ei non duximus infligendam<sup>1</sup>. »

3<sup>o</sup> Clementina *Exivi*, de verborum significatione, Fratribus Minoribus interrogantibus Apostolicam Sedem, utrum sub peccato mortali tenorentur ad ea quæ in regula sancti Francisci exprimuntur verbis imperativi modi, respondet Clemens V sic : « Nos itaque, quia in sinceris horum conscientiis delectamur, attendentes quod in his quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda, etc.<sup>2</sup>. »

1. In cap. *Illud* dicit idem Doctor : « Ibi casus fuit quod quidam episcopus, non obstante fama publica de excommunicatione adversus eum lata, temere celebrare maluit. Qua de re jure dicimus eum depositione fuisse ab Innocentio III punitus; nam, persistente dubio de excommunicatione, ipse diligentiam adhibere tenebatur, ut de veritate certior fieret, interimque a celebratione abstinere debebat. Idcirco merito dixit Pontifex : « Quia in dubiis via tutior est eligenda, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius abstinere, quam sacramenta ecclesiastica pertractare. » Adde quod ejus iurisdictio jam dubia facta fuerat, et scienter periculo nulliter et invalide plures actus ministerii et muneris sui exercendi periculo se committebat. Versabatur ergo in dubio pratico, quod prius discutiendum de necessitate erat. — 2. S. Ligoriūs ad Clementinam *Exivi* ita respondet : « Casus erat, ut in eodem textu legitur : Antecedenter a Fratribus fuerat dubitatum, an regula tantum ad vota paupertatis, castitatis et obedientiae obligaret. Sed Nicolaus III papa jam declaraverat obligare etiam ad illa consilia evangelica quæ in regula exprimebantur verbis obligatoriis præcepti vel præcepto æquipollentibus. Deinde Fratres Clemente V supplicarunt, ut eis declararet, « quæ censi debent » præceptis æquipollentia. » Idcirco Clemens, priusquam explicasset ea quæ præceptis æquipollentia videbantur ex vi verborum et traione gravis matrīcē de qua agebatur, præmisit illa verba : « Ad

4<sup>o</sup> Cap. *Dominus*, de secundis nuptiis, lib. IV Decretal., tit. 21, c. 3. Lucius III docens quomodo Christiani captivi apud Saracenos, qui iniverant secundum matrimonium, et jam dubitabant de morte prioris conjugis, se gerere deberent, dicit : « Si aliquis vel aliqua... de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei quæ sibi nupsit debitum non deneget postulant, quod a se tamen nullatenus erit exigendum. Similiter cap. *Inquisitioni*, de sentent. excom., lib. V Decretal., tit. 39, c. 44, Innocentius III interrogat quid agendum conjugi anxiò de impedimento conjugii et ejus valore, altera parte inscia et nihil dubitante, eo modo respondet his verbis : « Cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet ; ne in alterutro, vel contra legem conjugii [debitum denegando], vel contra judicium conscientiæ [debitum exigendo], committat offensam. » Palam est SS. Pontifices hos casus dubios resolvere juxta regulam tutioris sequendi. In hujusmodi nempe casibus, tutius est reddere debitum, ne violetur jus quod compars bona fide certo credit se habere ; tutius est non exigere : quia, cum lex conjugii non obliget exigere, se exponeret sine necessitate periculo copulæ illicitæ. Resolveret autem probabilista posse licite utrumque, et reddere et petere<sup>1</sup>.

» vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda. » Itaque eo casu non agebatur de duabus partibus æque probabilibus, sed tantum, an adesset obligatio illam sequendi partem quæ juxta regulæ rigorem et juxta id quod Nicolaus III jam declaraverat, non tantum tutior, sed erat unice tuta : cum jam constabat, regulam ex vi verborum et gravitatis materiæ obligare ad observanda, tamquam præcepta, non solum principalia tria vota religionis, sed etiam consilia evangelica quæ in regula exponebantur, et ideo ipsa præteriri non poterant sine gravi conscientiæ remoru. Hinc dixit Clemens, ad vitandos hujusmodi remorsus, tenendam esse securiorem partem, quæ reipsa erat unice vera et unice secura, et ex alia parte nullæ rationes suppetebant quæ transgressionem illorum consiliorum a gravi culpa excusare valebant. » — 1. Verus probabilista resolve-

## Solvuntur objections

*Obj.* 1<sup>o</sup> : Nulla lex, etiam a parte rei existens, subditos proxime et in actu secundo obligat, quamdiu non est illis, citra eorum culpam, sufficienter intimata et promulgata. Atqui, quamdiu, post habitam omnem diligentiam, manet vere, certo et solide probabile apud omnes non dari legem actionis alicuius prohibitivam, lex illa, si forte a parte rei detur, non est subditis sufficienter intimata et promulgata. Ergo.

*Resp.* 1<sup>o</sup> ex hoc argumento sequi quod qui dubitat an peccaverit mortaliter, non tenetur peccatum confiteri, dicendo legem confessionis non esse sufficienter promulgatam ; item quod doctores probabilistæ male doceant aliquid esse illicitum, quando sciunt illud ab aliis sustineri ut licitum. Tunc enim, juxta positum principium, lex non est sufficienter promulgata.

*Resp.* 2<sup>o</sup>. *Nego* suppositum minoris : nimur esse certo et solide probabile in dubio non dari legem ; quia, ut probavimus, dueæ opiniones æque probabiles mutuo se elidunt, unde neutra est certo et solide probabilis, sed dubia<sup>1</sup>. Sed, hoc dato,

*Resp.* 3<sup>o</sup> et præcipue. *Dist.* min. Quamdiu manet certo et solide probabile non dari legem, non est sufficienter promulgata, si non sit æque certo et solide probabile illam dari, *conc.* min. ; si sit æque certo et solide probabile illam dari, *nego* min. Tunc enim lex fit dubia, et ideo sufficient-

ret, conjugem de morte prioris compartis dubitantem non licite uti posse jure proprio, quamdiu est tantum probabile ; quia non admittimus hoc principium a quibusdam allegatum : « Qui probabiliter agit, licite agit. » Probabilitas enim per se nonnisi dubium practicum parere potest, quo dubio stante, pars tutior est eligenda, donec certitudo moralis de honestate actionis acquiri possit eo modo qui infra declarabitur. — 1. Optime, quamdiu dubium speculative practicum per aliquid principium reflexum certum et applicabile materiæ non dissolvitur practice.